

3° Pius IX, in Encyclica *Quanta cura*, damnavit sequentes propositiones : « Ecclesiam nihil debere « decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium ; « Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum « promulgentur a civili potestate ; Ecclesiae jus non « competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi. » In Syllabo autem (§ 5, 6) reperire est plures ejusdem generis errores proscriptos, ex quibus sufficiat indicare propositionem XXIV : « Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam. »

Constat 4° *ex natura societatis perfectae*.

In omni societate, necesse est ut qui curam communitatis habet, possit subditos ad societatis finem ordinare ; quae ordinatio praecipue fit per legem ; hinc est quod lex a D. Thoma definitur : *Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis, promulgata*. Sed leges finem suum satis non obtinerent, si delinquentes justis poenis non coercerentur ; potestas autem leges ferendi et delinquentes coercendi, absque potestate judiciaria, exerceri nequit. Ergo triplex praedicta potestas ad rationem societatis perfectae requiritur, ac proinde Ecclesiae, quae est societas perfecta, necessaria est.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 307.

309. *Ad 1.* Libertas illa christiana, de qua Paulus, est libertas, vel a jugo observantiarum judaicarum, vel a servitute peccati, vel a timore servili, ut contextus evidenter probat. Et revera ipse Paulus potestate imperii usus est.

310. *Ad 2.* Libertas requisita in prosecutione finis Ecclesiae, est libertas sumpta pro immunitate a necessitate, non autem libertas sumpta pro immunitate ab obligatione ; secus nulla societas, quantumvis perfecta, haberet potestatem coactivam, quia, in omni societate, opera moralia libere fiunt, et peccata libere vitanda sunt. At coactio poenalis non opponitur libertati juxta priorem sensum intellectae, quia non inducit necessitatem, et relinquit actum simpliciter liberum. Insuper, timor poenae est stimulus excitans ad bonum libertatis usum, et ita plurimum conducit ad finem societatis melius assequendum.

311. *Ad 3.* Jam ostendimus n. 286 potestatem Ecclesiae dici spiritualem ratione finis, non autem mediorum, et imo huic fini attingendo necessarium esse prorsus ut exerceatur circa res temporales et externas. Illa equidem auctoritas mansuetudinem redolet ; sed haec mansuetudo procedit ex charitate, et vera charitas exigit ut, per salubrem severitatem, cohibeantur atque praeveniantur scandala pluribus valde nociva. Demum, si quidam ex poenis pejores fiant, ipsorum culpa est, non Ecclesiae.

#### QUAESTIO VIII<sup>a</sup>

Quale jus Ecclesiae competat circa res temporales quibus utitur ?

312. *Resp.* Videri potest Ecclesiae nullum jus competere, aut saltem non competere proprium et independens, possidendi bona temporalia.

Etenim, 1° Christus viris ecclesiasticis interdixit omnem temporalem possessionem : *Nolite possidere*

*aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris* (Matth., x, 9; Luc., ix, 3); *Non est discipulus super magistrum* (Luc., vi, 40); *Filius hominis non habet ubi caput reclinet* (Luc., ix, 58). Et revera, societas spiritualis non nisi in spiritualibus debet esse dives. Ita Arnaldus de Brixia, Waldenses, Marsilius Paduanus et Wiclefus.

2° Praeterea, dato praefatam possessionem non fuisse Ecclesiae interdictam, saltem ab ea non habetur ex proprio jure, sed ex concessione principis temporalis, cum princeps temporalis, ut talis, temporalibus praesit. Ita Legistae cum pluribus Jansenianis, Gallicanis, ac nostri temporis Liberalismi sectatoribus.

3° Praeterea, dato Ecclesiam, utpote in tempore existentem, habere proprium jus possidendi, illo tamen non fruitur, nisi ad modum aliarum quarumcumque societatum temporalium, ac proinde cum debita subjectione eisdem legibus ac oneribus quibus aliae sunt obnoxiae. Ita etiam nonnulli.

4° Praeterea, dato Ecclesiae bona quibusdam privilegiis gaudere, cum tamen sint publica et ad publicam utilitatem destinata, aequum est ut princeps, cujus est publicam utilitatem procurare, ea statuere valeat circa horum acquisitionem, possessionem, administrationem, quae judicaverit expedire ad obtinendum finem societatis civilis: v. g. ferendo legem amortizationis, quam etiam *manuum mortuarum* vocant, et qua decernitur ne res immobiles in Ecclesiam, sine consensu civilis potestatis, transferantur. Ita enim opinantur multi e castris Liberalium.

313. Sed contra dico: *Ecclesiae competit jus*

*proprium et ab omni civili potestate independens, habendi bona temporalia.*

Prob. 1° *ex ipsa institutione Ecclesiae.*

Omnis enim societas cui sunt onera ferenda et sumptus faciendi, jus habet ad acquirendum bona et redditus temporales, sine quibus ipsi impossibile foret haec onera sustinere hosque sumptus facere; illudque jus eodem titulo possidet ac jus ipsum existendi. Atqui Ecclesia, utpote societas visibilis, bonis et redditibus sufficientibus instruenda est, ut cultus divinus celebretur, sustentetur clerus, et curentur pauperes. Ergo, vi ejusdem institutionis qua existit, jus habet acquirendi ac possidendi bona temporalia. Et quia divinitus instituta est ad normam societatis perfectae, praefatum jus a Christo ipso accepit possidendum et exercendum independentem ab omni civili auctoritate.

Prob. 2° *ex praxi constanti Ecclesiae.*

Legimus in Actibus Apostolorum, Ecclesiam primae-vam Jerosolymis fundatam habuisse, ex liberalitate fidelium, communes possessiones, quibus utebatur ad sibi et pauperibus subveniendum.

Eadem praxis ad praesentem usque aetatem perseveravit, etiam sub imperatoribus ethnicis, caeterisque principibus nomini christiano infensis. Sic, ex Lampridio, novimus Alexandrum Severum judicium tulisse in gratiam Ecclesiae, circa locum quem popinarii sibi dari postulabant; item Aurelianus Imperator, adversus Paulum Samosatenum domo Ecclesiae excedere nolentem, pronuntiavit hanc domum illi esse addicendam, ad quem Italiae episcopi et Romanus praesul rescripsissent; item Constantinus Magnus decrevit Ecclesiae restituenda esse bona ipsi sub persecutoribus

injuste ablata; unde bona haec jam diu fuerant penes Ecclesiam. De sequentibus seculis nihil dicendum, quia factum est nimis evidens.

Jam vero, quamvis Ecclesia multoties liberalitate principum ditata fuerit, nunquam tamen existimavit se ab eis jus acquirendi et possidendi mutuatum esse, aut in talis juris exercitio se auctoritati civili esse necessario obnoxiam; sed jus illud sibi veluti proprium, principibus licet contradicentibus, vindicavit et propugnavit etiam incusso anathemate; conciliaque et Pontifices nihil sanctius habuerunt, quam ut ab omni ecclesiastico patrimonio avidas laicorum manus removerent.

Prob. 3<sup>o</sup> *Ex variis definitionibus.*

In conc. Constantiensi sequentes Wiclefi propositiones fuerunt proscriptae: « Contra Scripturam sacram « est quod viri ecclesiastici habeant possessiones « (Prop. X). Ditare clericum est contra regulam Christi « (Prop. XXXII). Sylvester Papa et Constantinus erraverunt Ecclesiam dotando (Prop. XXXIII). Imperator et domini saeculares sunt seducti a diabolo « ut Ecclesiam ditarent bonis temporalibus (Prop. XXXIX). »

Concilia generalia Lugd. II (can. XII), et Trid. (Sess. XXXII. c. 2) excommunicationem contra invasores bonorum ecclesiasticorum renovarunt.

In Syllabo, Pius IX reprobavit hanc propositionem quae est XXVI: « Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi. »

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 312.

314. *Ad 1.* Verba Christi de non habenda pecunia

non respiciunt nisi discipulos Judaeam peragratos ante institutam Ecclesiam, minime vero Ecclesiam ipsam, postquam fundata et propagata fuerit. Alia autem verba de imitando Christo non habente ubi caput reclinet, expriment consilium nihil de paterna haereditate sibi ad personalem commoditatem refrendi; at non intelliguntur de bonis Ecclesiae communibus, quibus providetur necessitatibus cultus, cleri et pauperum.

315. *Ad 2.* Eo quod princeps civilis temporalibus praesit, non sequitur omne jus super res temporales ab eo procedere. Temporalia enim alia sunt *de se* ad finem temporalem societatis ordinata, et haec sunt de foro auctoritatis civilis; alia sunt *de se* ad finem spirituales societatis ecclesiasticae destinata, et haec sunt extra principis temporalis forum.

316. *Ad 3.* Ecclesia, cujus finis superat finem societatis civilis, non est assimilanda caeteris societatibus temporalibus, quae, ratione finis, civili societati subordinantur.

317. *Ad 4.* Bona ecclesiastica sunt publica et ad publicam utilitatem destinata, sed in ordine spirituali, qui ordinem temporalem societatis civilis proprium transcendit. Ergo ad Ecclesiam solam spectat ferre, circa propria bona, leges quae ipsi videbuntur spirituali Christianorum bono necessariae. Lex igitur dicta *amortizationis* est invalida; quia laedit, et jus Ecclesiae, cujus est judicare de congrua sustentatione propria, et jus fidelium aliquid bonorum suorum ecclesiis donandi. Experientia autem constat bona ecclesiastica recte, juxta canonicas sanctiones, administrata, mirum in modum temporali populorum felicitati conferre.